Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26210
Copyright: Admont, Benediktinerstift

& ipsam fidi ac spei nostre professionem illibatam semper teneamus. &
inter pressuras adversantium ostendentes per patientiam quam ra-
tionabiliter eam servandam didicerunt. peruius amore nec ad
versa pati. nec mortem subire formidemus. Sed modestiam &
timorem. conscientiam habentes bonam. in ipsa doctrine scientia.
Qualitatem docendi monet observari. ut videlicet humili-
tas. que magistra est omnium maxime virtutum. & loquendo di-
catur. & vivendo monstretur. Ut in eo quod detrahunt de vobis
tamquam de malefactoribus confundantur qui calumpniantur in
christo vestram bonam conversationem. ut qui fide ac spe celesti-
um quam videre nequeunt in vobis irrident. videant
opera vestra bona. & per hec confundantur que apta esse bona ne-
gare non valent. Vel certe ita sentiendum. curate bene facientes. ut
qui bone vestre conversationi detrahunt. adveniente tempo-
re retributionis future confundantur videntes vos cum christo coro-
natos. sese cum diabolo dampnari. Melius est enim bene facientes
si velit voluntas dei pati. quam male facientes. Hec sententia
illorum stultitiam eleganter arguit. qui cum pro culpis arguuntur
a fratribus ut etiam penis coercentur. patienter omnino tolerant. at
si absque culpa vel verborum contumelias vel dampna rerum vel ad-
versa queque patiantur a proximis. mox ad iracundiam prorum-
punt. & qui hactenus videbantur innoxii per impatientiam se
& murmurationem noxios reddunt. Ut autem distantia fla-
gellorum in disparibus meritis longe dispar appareat. videa-
mus una eademque cecitatis molestia tobiam. saulum. elimam.
fuisse percussos. Sed tobiam ob hoc ut virtus patientie eius
latius in exemplum cunctis claresceret. saulum ob hoc ut